

quationem intra biduum parum mutari ex utroque canone apparet
ut maximè circa verum locum ☉ aliquantulum hallucineris. Quare
non dubium est, vtiliter & compendiose proponi hos canones æquati-
onis dierum temporarios, quibus quomodo vtendum sit odiosum esset
denuò repetere.

*De primo
modo. 1. Si
ad datum
tempus qua-
runtur mo-
tus.*

Sed si mauius vti illa prima ac erudita artificum ratione, ita sanèsa-
cito ad datum tempus adparens perinde ac si æquale esset, absolvas cal-
culum verorum motuum ☉. ♃. & reliquorum planetarum. Postea
si primus modus iubebit dierum æquationem subtrahere, quantus ei
æquationi motus æqualis respondet, tantum aufer à veris locis seu mo-
tibus singulorum planetarum. Sed si addenda fuerit æquatio, respon-
dentem illum æqualem motum similiter adiunge ad veros motus pla-
netarum, maximè vero ♃. quia in cæteris planetis tam accurata dili-
gentia non multum adfert momenti. Hæc præcepta sequere, quoties
quæritur, qui verus motus congruat vel accommodatus sit ad datum
tempus. Ad data enim accommodari solent ea, quæ inquiruntur. Hu-
ius rei exemplum infra iecturi dabimus in calculo motus ♃.

*2. Si ad da-
tos motus ve-
ros quæritur
adparens
tempus.*

Sin autem contra quæritur, quod tempus verè congruat datis veris
motibus planetarum, tunc æquali tempori, quod simul datur cum ve-
ris motibus simpliciter adde ipsam dierum æquationem, si addenda,
vel aufer subtrahendam. Ita enim conflabis adparens tempus, cui ex-
hibiti veri motus debentur. Vsum, habet hoc posterius præceptum in
Eclipsibus, ac in vniuersum in nouilunijs ac plenilunijs, ut suo loco
docebimus. Quando autem vtendum sit additione vel subtractione
æquationis, petendum est ex regulis, quas supra in primo modo tra-
didimus. Quod enim ad secundum & tertium modum attinet, Cano-
nes ipsorum per se hac de res satis docent.

Hæc de dierum æquatione initio commemoranda duxi, quæ etsi
prolixiora fuerunt, tamen arbitror eorum cognitionem studioso le-
ctori, ac candido non fore ingrati.

2

SECUNDVM PRAECEPTVM DE AEQVANDO tempore ob varietatem meridianorum.

*Non idem
meridianus
vbiq.*

Est & altera causa, quare datum tempus æquari conueniat, varie-
tas scilicet Meridianorum. Nam quia Eclipses Lunares non eodem
tempore conspiciuntur vbiq; sed ita, ut in eiusdem Eclipsis observa-
tione, ij qui à nobis habitant versus ortem, numerent plures horas, si-
ne ab Horizonte, siue à Meridiano, pauciores autem, qui versus occa-
sum, manifestum est loca terræ, quæ distant inuicem versus ortem &
occasum discrepare Meridianis circuli. Ac distantia quidem duorum
quorum li-